

# DISCURSUS PHILOSOPHICUS

Miscellaneas aliquot exhibens Quæstiones  
Quas

Cum suffragio & consensu Amplissimæ facultatis

Philosophicæ in Regiâ Academiâ Aboensi;

Sub

PRÆSIDIO

Plurimum Reverendi & Praeclarissimi Domini

M. PETRI LAUR BECCHI,

Poësios Professoris celeberrimi; Præ-  
ceptoris atq; Promotoris sui ætatem  
devenerandi

Pro honoribus Academicis asequendis

Bonorum Examini

publicè

In Auditorio Majori

submittit

OLAUS TUNNBERG,

Sudermannus.

Ad diem August. Ann. 1679.

---

HOLMIÆ,

Literis Joh. Georg. Eberdt.

Plurimum, reverendis, Praeclarissimisq; Dominis Pastoribus; Reverendis, Clarissmis, Doctissimisq; Dominis; Fautoribus, Promotoribus & Mecænaibus, omni obseruantæ cultu æternum  
de venerandis, colendus, Honorandus:

Dm. Mag. CAROLO CAROLI Pastori in  
S:to Nicolao, Consistoriiq; Præfidi, &c.

Dn. Mag. OLAO BERGIO Pastori Clarenſi,

Dn. Mag. CHRISTOPHORO BETZELIO  
Pastori prim. Eccl. Germ.

Dn. Mag. MATTHIÆ ISER Pastori Mariensi,

Dn. Mag. MAGNO DURÆO Pastori Catha-  
rinensi.

Dn. Mag. ÆGIDIO STRAUCHIO Pastor  
sec. Eccl. Germ.

Dn. Mag. MAGNO MELANDRO, &c.

Dn. Mag. JONÆ EEK Notario Consistorij,

Dn. IVARO LEUFSTADIO Minist. Clar.

Dn. JOHANNI AMNÆLIO Verbi Dei Minist.  
ibidem.

Hancce dissipatiunculam festinanter, idè  
rudi Minervâ breviter conscriptam  
humilimâ devotissimâque offert de-  
dicatque mente

OLAUS Euhnberg.

## I. N. I.

*An una substantia posse  
mutari in aliam?*



Anc quæstionem acertimè affirmare non erubuerunt illi, qui λυκαιθρωπίας, i. e. hominum transformationem in lupos, aliaque animalia ratione destituta, haud ambiguis, ut ipsis persuasum est, argumentis Exemplisquè probare prorsus conantur. Eorum peruersæ sententiæ patrocinari videtur inter Græcos scriptores minimè ultimo ponendus loco, nomine Evanthes, (teste Plinio lib. 8. c. 22.) qui memoriæ prodit Arcadas scribere, ex gente Antæi cujusdam sorte familiæ lectum, ad regionis ejus quoddam stagnum duci, vestituq; in quercu suspenso tranare, atque in vastas abire solitudines, transfigurarique in Lupum, & cum cæteris ejusdem generis congregari per annos novem. Quo in tempore, et si hominum consortio viduatus, ad idem stagnum tandem revertitur, & quum tranaverit, effigiem pristini habitus induit, ad-

dito novem annorum senio. Ast, quòd talis mutatio & Metamorphosis in substantia contingere aliquando possit, & longè ab ipsâ naturâ abhorret, imo & ipsi Diabolo efficere impossibile est. Ejusmodi Metamorphosin non accidisse, ad oculum satis monstrat historia, lectu dignissima, quam recenset Vir, cum viveret, perelegantis ingenii, Georgius Sabinus, in Interpret. lib. 7. Metamorph. pag. m. 105. Ovidii super his versibus:

*Inq̄ virum soliti vultus mutare ferinos  
Ambigui profecta lupi.*

Tales (inquit) refert Herodotus esse apud Neurios Scythiae Europeæ populos, ad Borysthenem amnem, quorum meminit Plinius lib. 4. c. 12. Et apud Borussos fama est, tales inveniri, nuperque unum captum fuisse, & ad Ducem Prussiae adductum à Rusticis, quorum jumenta dilaniasse credebatur. Erat homo deformis, nec multum absimilis feræ, habebatque miser vulnera in facie, quæ canes morsu suo ipsi infligebant, ubi mutatus fuit in Lupum. Is à quibusdam, quibus id negotii Princeps dederat, interrogatus ajebat se bis quot annis ita mutari solitum; primo circa natalitia Christi, deinde circa festum Johannis Baptiste, Illisque temporibus se efferari, & cogi quodam impetu naturæ, versari in sylvis inter lupos: maximo a. horrore & languore corporis se affici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti credita sunt,

Sed

Sed quum, ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligentè observaretur à custodibus carceris, an aliquando efficetur lupus: retinuit semper eandem formam, quam habuit. Hic fuit exitus fabulæ. Unde sat is constat ea, quæ de ambiguis lupis narrantur, esse falsa, utpote quæ homines mente capti sibi imaginantur. Hæc Sabinus. Similes imaginationes verè Diabolicas, quibus miseri homines fascinantur, refert quoque Wierus de Præstig. Dœmon. lib. 3. c. 10. Si qui obvagari in Livoniâ & Locis finitimis videantur lupi noxii, quos lamias putant, ii certè, vel veri sunt lupi, in ejusmodi Tragœdiam exagitati à Dœmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus delirorum, λυκανθρωπων phantasie organa imbuit, vitiatq; ut ii se esse excursionum erronearum & actionum authores, corruptâ imaginatione, arbitrantur fateanturque: quod quidem Diabolo non esse difficile, ex descripto λυκανθρωπίαι morbo cuiilibet constat, dum humores & spiritus in hæc ludibria idoneos esse putent. Vel potius domi alto immersi somno jacent, perturbatâ eorum phantasiam, ut nihil aliud sibi persuadere poterint, quam per vastas errabundi solitudines jumenta devorare cogantur, ad implenda naturæ disideria. Sicco jam pede prætereo alia Exempla, quorum Olaus Magnus, & Wierus, citato Loco meminit; adducam vero, quod magis eo-

rum opinioni favere videtur, de promtum ex  
Sac. Script. de Monarchâ Assyriorum Nebucad-  
nesare ad mentem eorum mutato in Bovem.  
Verum contra illos insurgimus, qui hoc factō  
volunt omnino introducere mutationem unius  
substantiæ in aliam: dicendo rotundè sed paucis,  
ipsum in Bovem non fuisse mutatum; neq; hoc  
in textu expreſſe dici, neque ex eo elici posle.  
Non una quidem omnium est sententia, de qua-  
litate mutationis. Epiphanius, Dorotheus & Ce-  
drenus putant, nullam secundum interiorem  
ſenſum hominis mutationem fuisse factam, sed  
tantum secundum Externam corporis figuram,  
quæ ita conformata fuerit, ut anteriore parte  
corporis speciem Bovis gereret, posteriore a.  
Leonis. Sed hæc, absque fundamento veritatis,  
fabulantur. Nos primo dicimus, Regem secun-  
dum imaginationem suam mutatum, quæ adeo  
perversa & depravata fuit, ut putaret se factum  
fuisse Brutum. Communis etiam Theologo-  
rum sententia est, Nebucadnozarem maniā per-  
cuſſum, ad tempus ſenſum humanamque ratio-  
nem perdidiffe, & ex corruptâ imaginatione in-  
ſtar Bestiæ circumcurcitaffe, cultum corporis  
neglexiffe, ut ideo nudus ingrederetur, rori Cœ-  
li & imbribus, aliisque cœli injuriis, more be-  
ſtiarum, obnoxius. Capilli ſupra modum ex-  
crescebant, ut totum corpus contegerent; un-  
gues non præſcindebantur, ſed ad ſimilitudinem

avium

avium crescebant : Hominum conspectum fugiebat, in sylvis habitavit; non humano, sed bestiali victu, gramine & feno, vescebatur. Nee humano modo erectus, sed in morem bruti, ut putant pronus incedebat : Idque omnè tam diu fiebat, donec ei Deus Rationem restituit ; sicut in Biblico textu apertè dicitur. Et sensus redditus est mihi: in quæ verba annotavit B. Hieronymus; sensum dicens sibi redditum, ostendit, non formam se amississe, sed mentem. Nihil ergo hoc parti eorum favet statuentium arte magica homines in bestias posse mutari. Satius Sathanæ illusio hinc agnoscitur, qui miseris hominum mentes ita fascinat, ut, quod non sunt, sibi & aliis esse videantur. Hisce sæpè admiscetur morbus, quem λυκανθρωπία vocant. Illum depingunt, quòd sit Melancholica affectio; qui-que hoc corripiuntur morbo, λυκάνθρωποι appellitantur, quoniam lupos imitari videantur. Alias Lycaones nomine veniunt, prout Cælius Rhodiginus habet. Lib. 27. rer. antiq. c. 12. Nec à fide abhorret, quin mille technis subactus Impostor, se huic morbo immisceat, ludificetque miseros, sive hoc fiat operâ Magorum, sive non. D. Aug. non dubitat affirmare, homines posse per Ecstasim magnifice ludificari & decipi, ubi Lib. 18. de Civ. D. c. 18. de Patre Præstantii cuiusdam scribit, quòd, reverso ad se spiritu, se in equum commutatum affirmârit, qui commeatum

in castra cum aliis jumentis importarit, corpore interim domi relicto. Constat igitur ex dictis, Diabolum per Ecstasim animas suorum Ministrorum exportare in Loca dissita, corpore domi quasi Mortuo jacente. Diabolum alio mancipiorum suorum corpora transferre constat; quia *la-  
cer* codex haud obscurè innuit, bonis Angelis e-  
andem esse potentiam. Unde Thomas colligit:  
datâ possibilitate in uno, per consequens datur  
in omnibus aliis, quæ sunt ejusdem ponderis &  
magnitudinis. Et D. Aug. Sententia est, angelici  
naturæ ac spiritibus non esse contrarium, ut  
corpora, quo Deus permittit, deferant, lib. 3. de  
Trinit. Inter vetera memorabile est, quod apud  
Philostratum legitur, Apollonium Tyanæum, à  
Nili fontibus in Æthiopiâ fuisse brevi spacio Ro-  
mam exportatum, Româ, Corinthum, Smyrnâ-  
que, Ephesum. Inter Ethnicos non pauci credi-  
derunt, Magos certis adhibitis verbis & herbis,  
homines in bestias mutare posse; nunquam ta-  
men bestiam aliquam in hominem conversam  
fuisse ajunt. Ita n. Virgilius de Mœri:

*Has herbas atq[ue] hæc pono mihi lecta venena  
Ipse dedit Mœris; nascuntur plurima ponto:  
His ego sæpe Lupum fieri, & se condere sylvis  
Mœrin vidi.*

Eiusdem sententiae est Pomponius Mela, Soli-  
nus, Strabo, Varro; Exempla recitant, Herodo-  
tus, Homerus, Ovidius &c. De Ammonio Phi-  
losopho-

Iosopho legitur, quod lectioni suæ ordinariæ A-  
finus interfuisset, quem putant, hominem fuisse  
in Afinum convertum vel transformatum, reli-  
ctâ in ipso animâ rationali. Pro stabiliendâ nô-  
strâ sententiâ, sc. unam substantiam in aliam mu-  
tari non posse; dicimus certissimum esse, Diabo-  
lum novam creaturam creare non posse, sed hoc  
esse solius potentiae divinae. Non est putandum,  
inquit B. August. lib. 3. de Trinit. *istis transgressio-*  
*ribus Angelis ad nutum servire, hanc rerum visibi-*  
*lium materiam, sed soli Deo.* Ad ultimum preci-  
bus opus est, nè tradat nos Deus potentiae diabo-  
licæ, sed mentem sanam in corpore sano semper  
conservet, regat nos verbo, animum docilem &  
obsequentem donet, nè Diaboli ludibrium, & a-  
liorum offendiculum fiamus.

## I I. Quæstio:

*Melancholia originem unde  
trabat; quotplex, & qui-  
bus Sanari poscit?*

Ex prioris quæstionis occasione, non pos-  
sum intermittere, quin pauca, rudi Minervâ, de  
Melancholiâ literis consignem. Primum obser-  
vandum venit Melancholicos diversi esse gene-  
ris. Laborant namque quidam, corruptis ex-

ternis sensibus ex humore Melancholico, unde eorum & cogitatus, voces, visa & facta sunt mirabilia: Nonnulli, ut antea dictum est, se bruta animalia credunt: alij fictilia vasa: alij pavidi semper existunt. Alij ingenti gaudio afficiuntur; qualis apud Athenaeum lib. 12. erat Atheniensis. Reperiuntur & illi, qui non adeo vexati ab hoc morbo quoad externos sensus; Verum corda mæsta semper circumferunt pavidaque, seipso exsecrantes, præque impatiens tam suæ vitæ pertæsi, neglecto omni prorsus labore. Tela autem quibus hæc bestia impetenda est, sunt, exclusis alijs, præcipua; Tristitiam, Melancholiæ pabulum, quo nutritur & augetur, fugere maximopere: *Sublata enim causa*, ut sonat canon, *tollitur Effectus*. Obstrepere huic malo, svadent varia etiam incommoda, quæ inde nocentissima scatent fluuntque, nimirum; Expulsio Spiritus sancti, fiduciæ in Deum amissio, precum neglectus, gratiæ & bonitatis Dei, quam desperabundus prorsus negat, in dubium vocatio, tandemque vitæ suæ ipsius abbreviatio. Ad hæc varios attrahit morbos: quia animo intus multiplicibus exagitato curis, foris simul patitur corpus, Animæ induvulso nexu conjunctum; corporisque ossa exsiccantur, cerebrum turbatur, cor angustatur, deficiente cibi somnique appetitu. Melancholiæ præterea incommoda, præter mille histo-

historias civiles, indigitat Sacra pagina. Inter illos Nabal excelluit, qui corradendis opibus quotidie solicitus, nec sibi, nedum alijs prodebat, quem sanctæ literæ suis coloribus non defraudant, 1. Sam. 25: 37. quod ipsius cor, ut semper opibus mundanis intentum, *ita in ipso erat mortuum, ut lapis.* Nec prætereundus est Achitophel, qui cum videret consilium suum successu carere, funestas sibi intulit manus, finiendo vitam laqueo, coarctantibus malæ conscientiæ stimulis, ortis ex peste illa perniciösissimâ Melancholiâ. Pietate inclutos haud raro à spiritu Melancholico turbari, documento est miraculum pietatis, Jobus; qui propter angustiam, quâ circumdatus, in hæc erumpere verba non dubitavit: *Animus meus eligit strangulationem, mortem eligit ex ossibus meis: aspernorne in seculum vivam.* Job. 7: 15. 16. Quæ voces plenæ sunt desperationis, & indicia angusti animi. David se consolari passus non fuit, præ animæ suæ dolore: *Manu meâ noctu perfusa, & non intermittente: renuente consolationem admittere animâ meâ.* Medicamen, quo huic malo obveniri potest, est, (A) Honesta converratio: nam loca solitaria augent spiritum Melancholicum, colloquia autem honesta minuunt; unde in Græco Senario apud Plutarchum dicitur: *ψυχῆς νοσήσοντι εἰσὶν οἱ πόλει λόγοι.* (B) Moderate ratus iungi usus: Vinum enim lætificat cor hominis

minis. (G) Musica suavis & liberalis, quæ spiritus exhalarat, pellendo tristitiam. Hæc sunt præcipua tela, quibus Melancholicum spiritum, primo statim limine extingvere, & animum nobis pacatum reddere possumus. Seneca, contra tristitiam melancholicam, animum hominis communis consideratione communis fortis rerum fere omniū in mundo, & immutabilis Dei voluntatis, cui querelis & curis nostris frustra obluctamur. Ita enim scribit Epistola 107. Nullius erit querimonie locus, cum sint omnibus paria; Nam etiam, quod effugit aliquis, pati potuit: Aequum a. jus est, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus satum est. Imperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum est: æstas calores refert, æstuandum est; intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est: & fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus: alium aqua, alium ignis eripiet; hanc rerum conditionem mutare non possumus: id possumus, magnum summere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus. Natura a. hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt, turbantur maria, cum quieverunt; flant invicem venti, nō dem dies sequitur; pars cœli surgit, pars mergitur: Contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem antimus aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & que-

¶ quæcunq; fiunt, decuisse fieri putet, nè velit objurare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, & DEum, quo Authore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Hoc, additis aliis consiliis ex Myrothecio, conscientiis conciliare potest tranquillitatem quietemque, & magnum momentum ad compescendos animi motus inquieti habet, & ad restaurandum cor, quod malæ conscientiæ stimulis, agitatur, in quo omnis humana felicitas consistit. Removet præterea ex oculis Melancholia timorem Domini, & repugnat præcepto primo, in quo Dei reverentia nobis proponitur, item hominem in duo præcipitia suspensum, magno cum sui damno, relinquit. Unum est præsumptio & fastus spirituallis, quo inflati res suas pro lubitu disponunt, &, si aliquid ex animi sententiâ ipsis successerit, intumescunt. Hæc est superba illa Melancholia, quæ homines extollit, ut de providentiâ Divinâ parum sint solliciti : Qui non vult esse melancholicus, non sit fastuosus, non persuadeat sibi conatus suos non posse fieri irritos ; Deus namquæ aliter disponit, quam proponit homo, ut in versibus dicitur :

Nullius est felix conatus, & utilis unquam,  
Si non consilium detq; juvetq; DEus.

Precibus itaq; ex intimis cordium recessib; effusis sollicitandus est almus DEus, dignetur salutaria atq;

arque felicia consilia nobis suggestere. Quidam arguunt Deum injustitiae, quod melius malis, quam bonis prospicit, omnia nempè ex animi sententia improbis succedere. Ex adverso, piis quasvis calamitates & adversitates, quibus obstatre pro rorsus sunt impares, contingere ex inevitabili fato, & ad malum natos, nec ullam præstolari se posse, putant mitigationem suæ miseriæ. Qui itaque non vult esse Melancholicus, non sit incredulus, non diffidat de benignitate DEI; sed omnia in manus ejus resignare, & in fide & spe ipsius auxilium expectare discat. Hæcce, pro ratione instituti, de Melancholiâ conscripta sufficient: sequitur itaq;.

### III. Quæstio.

*An, propter certas causas, si bimeti ipsi funestas manus aliquando licitum fit inferre.*

Haud raros invenies homunciones, qui fortitudine eximiâ se cluere tunc per vasum habent, cum filum vitæ, nefcio quâ insanâ ducti, turpiter abruperint. Quidam procul dubio hanc prætendunt causam, præstare videlicet ex duobus malis, quorum unum evitari non potest, forte legere

legerē quod minus malum est. Jam ipsis, cæcā ratione ita dictitante, longē pulchrius (licet falso) videtur, honestā, quo titulo ipsam dignari non verentur, morte extingvi, quām varia pericula, discriminaque subire, & honestati vītæ, pietatique in Deum & proximum repugnantia, sustinere. Ad excusandam autem suam *αυτοχειείαν*, fictitious illi inducunt colores, ab Exemplis Virorum fortitudine cluentium, quæ nobis sat sufficienter suppeditant, tam sacræ, quām profanæ Historiæ. Et quidem, si secula præteritæ ætatis penitus introspicimus, plusculos deprehendemus, qui violentiā, quæ tamen decentius rebus omnibus abesset, manuum, vītæ suæ terminum, qui altissimi Numinis voluntate adimpletur, horrendum in modum decurtrarunt. Sic Temistocles Atheniensis, ut habet Plutarchus in vit. Themistoclis, qui ob multa præclara facinora de patriâ suâ optimè meritus fuit, levem ob causam civium suorum odio circumseptus, loco præmij, quo afficiendus esset, in exilium proscriptus est; & relicto solo natali, in amicitiam Regis Persarum receptus, Dux belli magno cum honore adversum Athenenses creabatur; verūm quum videret Patriæ suæ ingentis cladis periculum imminere, hausto tauri sanguine seipsum interemit, nè aut Regi de se merito infidelis esset, non pugnando viriliter, aut Patriæ suæ hostis atque oppugnator  
vide-

videretur. Similiter M. Cato Uticensis se vitâ privavit, ad effugiendum manus Julij Cæsar. Lucretia passa naufragium pudicitiæ suæ, defixo cultro in pectus, se interemit in conspectu Mariti consangvineorumque; ut Livius in fin. Lib. 2. Sed quis Ethnicorum ejus factum laudi non duxit? ut ipsius Epitaphium in Episcopatu Viterbiensi exsculptum luculentè indicat: *Collatinus Tarquinius dulcissimæ Conjugi, incomparabili Lucretiæ, pudicitiæ Decori, Mulierum gloriæ.* Vixit An. XXII. Menses III. Dies VII. Proh dolor! quæ fuit Charissima. Quis omnia Exempla enumerare potest eorum, qui suæ fortunæ fabri proprij fuerunt? Tamen magnoperè non ita quis mirari potest, quod Paganî illâ pusillanimitate fuerunt, cum ex Verbo Dei informati non fuerint. Majori admiratione dignum est, quòd qui veram de Deo agnitionem imbiberunt, eâ recordiâ essent, ut vim sibi accelerarent. Sancta Scriptura loquitur de Dei Nasaræo Samsone, Jud. 16: 30. qui defractis vel destructis columnis templi, se cum multis millibus hominum interfecit; de Razia. 2. Mac. 14: 42. &c. Saul nè in potestatem hostium veniret, proprio incubuit gladio. Missis pluribus veterum Exemplis, quotidiana, Experientia, proh dolor Satis docet, multos etiamnum suæ vitæ carnifices esse. Diximus antea, Ethnicos laudasse ἀννοχέπος; sed tñ. Saniores

niores eorum tales encomio fortitudinis defraudant. Cicero in somnio Scipion, pulcherrime fatetur, nefas esse vitæ sibi periculum accelerare; sed expectandum donec Deus istis corporis custodij liberaverit. Si aliter feceris, in cœlum tibi aditus patere non potest. Quare omnibus pījs retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, à quo ille nobis est datus, ex hominum vitā migrandum est, ne munus humanum assignatum à DEo, desugisse videamur. Aristotelis quoque masculam mentem talibus derogat. Eth. 7. Nam ejusmodi sunt angusti animi, sui impotentes, adversis rebus franguntur, ex impatiētia desperabundi planè succumbunt; Sed viri fortes omnia hæcce forti animo sustinent feruntque. Nec tantum peccant illi contra jus naturæ, Thom. Par. 2. q. 64. Verum contra jus scriptum, tam divinum, quam humanum. Vetuit enim DEus in Decalogo Homicidium proximi, multo magis sui ipsius occisionem, cum sibi metipsi quilibet sit proximus, & Charitas incipiat à se ipsâ. Jure humano capite plectebat Imperator Adrianus qui graviter se lædebant. frustra quidam conantur purgare tale delictum, ubi dicunt magis convenire eorum virtuti, quam temeritati. Factum Samsonis, cum sit ex singulari Spiritus S. instinctu profectum, ad ulciscendum Populi Dei hostem, imitandum non est, & per consequens illis non patrocinatur, qui se necavent.

tint. Nec obstat, volenti non fieri injuriam. Illud enim locum habet in rebus, quas jure possumus; Ast, opprimere seipsum, non est in hominis potestate, siquidem omnis homo Imperio subjacet Dei. Neg, facienda sunt mala, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαρά, Apostoli gentium regula est, ad Rom. 3. v. 8. Hinc talis extat Divi Augustini de hoc negotio sententia Lib. 1. de civit Dei c. 17. Si non privatâ potestate alicui hominem occidere, vel nocentem licet, cuius occidendi Licentiam Lex nulla concedit, profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in eâ causâ fuit, quam se occidendum putavit. Nam si Iudeæ factum meritò detestamur, eumq; veritas judicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius, quam expiasse commissum, quoniam DEI misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentia Locum reliquit: quanto magis à suâ nece se abstinere debet, qui tali suppicio, quid in se puniat, non habet? Judas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit: Et tamen non solum Christi, verum etiam Iuæ mortis reus finivit hanc vitam; quia licet propter suum scelus, alio scelere suo occisus est. Concludimus itaque, nemini, quamcunq; prætulerit causam, licitum esse, nulloquè modo excusari posse, si ex proposito & destinatâ quis voluntate vitam suam breviaverit. Animus quippe retinendus est in corpore, do-

nec

nec naturali fatorum conditione inde rapitur. Sed aliud dicendum est de ijs, qui mente capti, vel, furiis exagitati si ex alto loco præcipites se dederint, vel veneno, ferro, aut quocunque modo se interfecerint; excusari enim possunt, quod tunc sui potentes non fuerunt. Verum tali iā casu eorum anteacta vita respicienda est, ut, si antè probè vixerant, de eorum salute nemo sana mente dubitet. Assiduè itaque orandus est Deus, nè inducat nos in temptationem.

#### IV. Quæstio.

*An consultum sit, plures quam unam in bene constitutâ Republicâ admittere Religionem?*

Variè disputant & Theologi & Politici hâc de quæstione, nimis ad utrumque extremum deflentes. Sunt qui simpliciter, nullo habito respectu circumstantiarum, negare non dubitant, non præter unam religionem in una Republ. tolerandam esse, fundamento desumto ex Israëlitarum unitate Religionis, uno templo; &, quod propterea destruxerunt lucos & delubra ut unam tantum haberent retinerentque religionem

in suâ Politiâ : Quia multarum dissensionum o-  
rigo est dissensio in religione, & libertas creden-  
di est libertas errandi ; de quibus Bellarm. Lib. 3.  
de Laic. cap. 18. col. 672. Lipsius Lib. 4. pol. c. 2.  
Joh. Paulus Vindeck Lib. de hæreticis extirpan-  
dis, & Cunradus Brunus Lib. 3. de hæret. cap. 15.  
Alii aliam fovent opinionem, dissensum nem-  
pe in Religione Reipublicæ esse utilem. Sic  
Diodorus Siculus de Ægyptiorum Regibus nar-  
rat, Lib. 1. c. 89. quod miscellaneum introduxe-  
rint divinum cultum , ut conspiratione adver-  
sum Magistratum abstinerent, & quod utilitatis in  
vitam redundantis causâ hoc Deos cultu afficiant : Et  
in Historiâ Gallicâ lib. 6. apud Dinothum scribi-  
tur, quod in Aquitaniâ , propter varietatem reli-  
gionis , maximus inter subditos sit consensus.  
Similiter scribit Camerarins , part. 1. operar. suc-  
cif. c. 58. de Solimanno Turcarum Imperatore,  
cum admoneretur , ut Christianos & Judæos, a-  
liosque diversos ritus in religione sequentes , vel  
ejiceret, vel cogeret, ut musulmanizarent ; Eum  
illis, qvum forte ex fenestrâ in hortum variis flo-  
ribus fragrantem despiceret , uno in loco diver-  
sos colores enatos simul monstrasse , atque dixi-  
se : *Quemadmodum ista varietas distincta herba-  
rum & florum , non solum nihil obest , sed merifice  
oculos & sensus recreat ; Ita in imperio meo diversa  
fides & religio potius usui , quam oneri mihi est , si  
modo pacato vivunt.* Id ipsum movit Nervam

Impe-

Imperatorem, qui edicto publico prohibuit, nē fieret in alicujus religionem inquisitio. Alexander Severus ipse gentilis, templum tamen Christianis Romæ, ad Sacra sua peragenda, conces- sit. Diversæ itaque Religiones tolerari possunt, (A) in Republicâ turbatâ, & diversis sectis jam occupatâ ; nam , metu seditionis à multitudine, extirpari non possunt , sed tolerari ; (B) cum proceres Regni in partem potestatis veniunt , tunc superior Magistratus eam religionem quam amplectuntur proceres , & præcipui subditi in regno, tollere non potest , sed à *πονομίαις* subditis relinquere tenetur : Quod enim plures tangit, à pluribus etiam est curandum. Consensum OEcumenicum vix sperari posse, paulinus evincit aphorismus, quo inquit. I. Cor. II. 19. Δεῖ αἱ γέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, i.e. Oportet esse hæreses inter vos. Hæresibus a. grassantibus, ibi una religio non viget. Unitatem religionis præstare, inquit Lipsius Lib. 4. c. 2. Τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως ἀυτός τε σέβει καὶ τὰ πάτερα, καὶ τὰς ἄλλας πιμὴν ἀνάγκαζε : i. e. Divinum illud Numen, omni modo, omni tempore , ipse colè juxta leges patrias, & , aliij ut colant, effice. Lactant. Lib. I. Instit. cap. 20. Religio & veneratio nulla alia, nisi unius DEI, tenenda est. Optanda quidem esset unanimis conjunctio animorum in vero Deo colendo ; sed siquidem in hac fragilitate humanâ hoc ipsum obtinere non possumus, obstante Diaboli fraude, & ho-

minum incredulitate; Necessitas cogit, toleratur pluralitas religionum, verumtamen ad ea, quæ sunt juris gentium, Rol. i. à Valle conf. 25. n. 13. & 14. vol. sic secundum Jus gent. contrahere possunt nuptias diversi religione, Panorm. n. 3. ext. de convers. in fid. Roland. à Valle conf. 35. n. 72. & seqq. Felin. in cap. Judæi ext. de Jud. & Sarrac. &c. absit tamen nimia familiaritas, et si commer- cia cum Hæreticis exercere possumus, rerumq; dominia acquirere, arg. C. Quanto. 18. ubi Pa- norm. n. 3. & 4. ext. de usur. Rationes, quod pluralitas religionum in una Republ. tolerari possit, sunt (A) quod lege cautum non est, op- poni non potest: Ex Religionis Constitutione integrum est emigrare, aut si alio ad publicum religionis exercitium emigrare nolint, placide inter alios alias religionis sacra suo more usurpare. (B) Beneficio emigrandi constituto, non debet ad læsionem ejusdem extendi. Nam quod in favorem volentium introductum est, non debet iis esse odiosum, ut necessitate cogantur, L. cum Pater 77. §. modo ff. de legat. 2. ubi gloss. & Bart. (C) Quia illa constitutio expresse monet, ut unus cum altero placide vivat, ser- vato unicuique suæ religionis cultu, si non sua sponte ad unum corpus spirituale copulari potuerint. (D) lege non distingvente, neque no- bis distinguendum, L. de pretio, ff. de publ. in rem Act. & l. i. §. generaliter, ff. de legat. præst. (E) juris-

(E) jurisdictionem Ecclesiasticam generaliter suspendit constitutio, & non modo statuum inter se, sed etiam subditorum conscientiae consulit, simulque tranquillitati & securitati. Ex quibus colligi potest, religionis pacem obtinere, non tantum inter diversos status Imperii, verum etiam inter statum & ejus subditos. Sequitur itaque, vigore constitutionum, Magistratum non posse tyrannicè in illos grassari, qui alij cultui sunt addicti, eos turbando, vel infugam propellendo. Christoph. Besold. Lib. 2. Part. 1. c. 2. inquit : *studendum est, ut religio sit una, id cum sperare forsitan, fore aliquando, vix licet. Hæreses legiti mis remedij extirpandæ; diversæ in Republ. Religiones quandoq[ue] tolerandæ, ac pacem, item religioni, licet non veræ, datam servari deceat.* Admitti itaq[ue] potest, hâcce cum cautelâ, pluralitas religionum, necessitate ita urgente, modo caveant Atheismum, qui ex Autonomiâ, i. e. omnium religionum confusione, induci videtur quod vult Barclai, in Parænæf. 1. c. 5. Dicis, ex variâ religione turbas fluere; nam quomodo, quæfo, concordia in Republ. vigere possit, ubi variæ sunt religiones? Cur ergo apud Ægyptios hodie, apud Japanes, Turcas; Christianorum quosdam, pax est? Nam de Ægyptis tradunt, quatvor apud illos sectas vigere, quæ inter se ritibus, sententijsque differunt; et si ex Mahumedis initium omnes trahant, Earum tamen Antistites & sacer-

dotes inter se sine odijs, & concorditer vivere,  
ut habet Johannes Leo, Lib. 8. Descriptionis Africæ. De Japanibus magno potentique populo,  
legi potest in Epistolis Japanicis ; Novem illic  
esse religionum genera , integrumque esse omnibus , pro lubitu, quam velint sectari religio-  
nem, adeo ut familias multas reperias, in quibus Vir huic, Uxor alteri , filius item alteri , & filia  
hisce contrariæ , adhæreat ; nec id turbare quic-  
quam domesticā quietem. Hujusmodi Confu-  
sionis Exempla sunt inter Christianos in Poloniâ,  
Transsilvaniâ , imò in toto fere orbe terrarum ;  
quæ hâc cum Lege tolerari potest , I. nè aper-  
tæ blasphemiae in Deum & Christum projici-  
antur. 2. Ne inferatur syncretismus ex toleran-  
tiâ multarum religionum , quo propter pacem  
politicam homines in alienas religiones consen-  
tire , vel salrem cum ejusdem Professoribus col-  
ludere jubentur. Samaritanismus olim 2. Reg.  
17. 34. prohibitus fuit, ita & syncretismus in re-  
ligione interdicitur. Paulus non vult nos ju-  
gum ducere cum infidelibus , 2. Cor. 6. v.14. Si  
non Ecclesiæ de ejusmodi Syncretismo caveatur  
probè , longè præstaret pluralitatem religionis  
in Republ. non admittere. Pro quaestionis de-  
cisione, destingendum esse putamus , inter pu-  
blicè errantes , & privatim : Illi in republ. pacatâ  
coercendi monitis , & interdictis ; Si non paru-  
erint, exterminandi : Hi vero tolerandi , cum

sibi tantum errant, cœtera quieti agunt, neminem turbantes. Nam tacere liceat, inquit Sene-  
ca in Oedipo, nulla Libertas minorâ Rege petitur. Non cogantur conscientiæ ad meliorem doctrinam: Nihil enim tam voluntarium, quam religio,  
in quâ si animus aversus est, jam sublatâ, nulla est, dicente Lactant, Lib. 5. c. 14. Augustinus censet  
Epist. 65: Ut Medici plus quiere sœpe, quam mo-  
vendo, atq; docendo proficiunt: ita horum errores,  
docendo magis, quam jubendo, monendo quam mi-  
nando, tolluntur. Divina providentia permittit  
tales in medio nostri habitare, ut occasionem ha-  
beant, errores suos in meliorem frugem revoca-  
re. Insuper distingvit Paulus in Epist. ad Gal.  
2.1. 4. 19. cap. 5. 11. 12. &c. illos in seductos, & se-  
ducentes. Illos, ut fratres & filios dilectos, me-  
lius instruit; his vero ex justo zelo imp̄recatur,  
ut conturbet eos Dominus, & ut ἀποκόψωνται,  
οἱ ἀναστόντες υμᾶς, id est, abscondantur qui  
vos inquietant; Et judicium ipsis Dei minatur.  
Dicimus breviter, varietatem religionis tolerari  
ob pacis & tranquillitatis publicæ utilitatem: Et  
erunt semper zizania inter triticum, usque ad  
mensum, donec Deus cœteros in fide illuminat.  
Hac de re pulcherrime discurrunt: Arumæ<sup>ds</sup>  
de Com. c. 8. n. 25. Crant de pace. relig. quæst.  
13. Com. 1. Compos. pac. Dilling. cap. 5. q. 26.  
Faxit Deus Ter. Opt. Max. licet non una vera re-  
ligio, integravè conjunctio animorum & corpo-

rum, in toto mundo fieri possit, ut tamen nostra charissima Patria, sub umbraculo Divino, à virulentia Hæreticorum, sarta tectaque usque ad finem mundi maneat. Nam non desunt, proch dolor! inquieta & turbulenta ingenia, quæ cum habeant acetum in pectore, frigidam suffundere, & turbatâ aquâ, angvillas captare, ut proverbio jactari solet, nitantur.

## V. Quæstio.

*Num promiscuè, quicquid nobis libitum fuerit, votere liceat?*

Non quævis arbitraria sunt honesti voti materia. Non enim temerè & audacter, quicquid lubet, DEo vovendum est; nam omnia illa fortè nefas atque impossibile esset præstare.

Sit E. Materia Voti actus alicujus virtutis, aut res alioquin bona, honesta, gravis, possibilis, utilis. Hinc haud ambiguis argumentis colligi potest, quid vovendum sit. (A) Non illud, quod è diametro pugnat verbo divino, ut plurimi votere non sunt veriti, teste Sacrâ paginâ: Ut Iudæi voverunt Melechet cœli, Jirmejæ 44: 25. Act. 23: 13. 14. Et summatim: *Quicquid pugnat cum pietate & officijs charitatis, aut misericordiæ, votum*

votum facit impium ac illicitum, (B) Non est vovendum illud, quod Exigui Momenti est, & ineptum. Huc referri possunt stolidæ & superstitione plena vota quæ Thomas 4. Dist. 33. q. 1. Et Navarrus in manuali. c. 12. Num. 17. Exempli loco afferunt; quod *Muliercula* vovet, de non e-  
dendo in *Sabbatho* ob honorem *Deiparæ*, & ejus-  
modi alia. Quæ quidem vota, ut superstitiosa,  
improbat Joh. Azorius tom. 1. Institut. lib. II.  
c. 16. q. 5. (C) Non est vovendum impossibi-  
le, utpote se nunquam peccaturum; quod qui-  
dem optandum est, sed vovere non licitum, cum  
ob carnis imbecillitatē nunquam præstari pos-  
sit. (D) Non est vovendum, quod corpori a-  
nimoque adfert discrimen: Ut potè, diu inter  
veritatis hostes habitare. Nobile illud dubium,  
quod oritur ex voto Jepthe. Jud. 11. 31. de in-  
holocaustū exhibendâ filiâ, damnant Magni no-  
minis Viri, siquidem temeritate non caruit. vi-  
de sic Joseph. lib. 2. antiq. Jud. c. 9. August.  
lib. 7. quæst. in Vet. Test. quæst. 49. Chrysost.  
Homil. 14. ad pop. Antioch. & Homil. de Jephite  
Origen Tom. 8. in Johan. Tertull. lib. 3. contra  
Marchion c. 4. Ambros. lib. 3. officior. c. 12.  
Hieron in cap. 7. Jiremejæ. Omnes hi, cum  
alijs, existimant Jephthen fuisse temerarium in  
vovendo. Horum sententiæ suffragatur sub-  
scriptio Lutheri, & claritas textus. Reprehen-  
ditur Jephthe à Paraphraste chaldæo, quod Phi-

neam sacerdotem summum non consuluit, priusquam votum suum effectui daret, quod bene pretio solvere potuisset. Nicolaus Serarius in c. ii. Jud. quæst. 12. fol. 326. Excusat Jephthæ factum, dicendo ipsum instinctu S. Sancti suam filiam Deo immolasse, & per consequens nihil delicti ipsius voto inesse. Verum non video, quomodo, stante hâc sententiâ, Deus à crudelitate vindicari possit. Nam DEus est, qui in lege sua severissimè interdixit Homicidia; quomodo ergo jubebit, vel ad ea perpatranda instigabit, quæ prohibuit? Plura quidem de hâc nobili Quæstione dicenda meritò essent, sed brevitati studens, cœtera prætereo.

## Quæstio VI.

*Num quis hominum potestatem habeat relaxandi juramenta?*

Ethnici perpeti multa, imò ultima profide non negarunt, nè illam, quam sacro religionis juramento comprobarunt, infringerent. Et priusquam aliquid in salutem Reipubl. aggraderentur, per DEos immortales jurarunt, se illud ipsum omni cum nisu effecturos fore: ut satis laçulentè indicat juramentum, quod præstare

stare tenebantur Ephebi Atheniensium; refe-  
rente Stobæo 141. de Repub. hoc modo: Non  
ignominia afficiam arma sacra, neque deseram me-  
um Astitem, quocum junctus fuero. Dimicabo  
pro sacris & prophanis, sive solus, sive cum multis.  
Patriam non relinquam in deteriori statu, sed am-  
pliori melioreque, quam acceperim. Semper Ma-  
gistratui Præfecto prudenter obediam, & legibus  
constitutis parebo, & alijs quibuscumque plebis con-  
fensi decretis. Quod si quis leges vel irritas face-  
re, vel eis obtemperare non velit, non concedam,  
sed ulciscar, tam solus, quam cum pluribus. Sa-  
cra quoque patria colam. Horum mihi Diij testes  
& concy sunt: Hic non est quæstio de jura-  
mento assertorio sed promissorio, ut monet  
Thomas 22. qnæst. 89. art. 9. qnòd salvâ con-  
scientiâ non audet quis aliud facere quam jura-  
mentum præstare. Nam juramenti vinculum est  
juris naturalis, quod auctoritate nullius homi-  
nis relaxari potest. Martinus Becanus in ap-  
pendice disput. de fide Hæret servandâ in Exam  
propos. 3. negat juramentum esse servandum,  
mox deinde veritatis compulsus vi fatetur, DE-  
um fœdifragos odio habere. Nulla enim res  
efficacior excogitata est à majoribus nostris,  
quam jurisjurandi religio; Nullum præterea  
vinculum ad astringendam fidem jure jurando  
arctius esse voluerunt. Quod & Cicero, in  
Libris officiorum, passim observavit, ubi Re-  
guli

guli Consulis Romani exemplum proponit,  
quem nec Patriæ nec suorum amor retinere po-  
tuit quo minus hosti fidem datam servaret. Si  
ergo sine justa causa vel necessitatis prætextu  
soluta fuerint juramenta ab aliquo , irrita atque  
falsa est illa solutio; & peccat ille , qui illam  
& efflagitat & solvit. Si verò justa causa subest,  
potest fœdus illud juramento obstrictum rese-  
cari & rescindi, juxta illud tritum : *In male pro-  
missis, rescinde fidem.* Legitima autem est cau-  
sa, cum turpitudo aut impossibilitas est in jure  
jurando, ut juramentum absque jacturâ salutis  
aut honestatis servari non possit. Juramenta,  
quemadmodum pacta, vi & metu extorta , non  
obligant, sed relaxari possunt, l. 7. q. Prætor.  
ait ff. de pactis, & t. t. ff. & C quod metus cau-  
sa. Jurans erit sui juris, si juramentum ipsum  
obligabit; sin minus, possunt Parentes vel Do-  
mini, quorum tutelæ subest ( quia tunc subin-  
telligitur illud conditione esse factum ) juran-  
tem liberare à juramento. Si quis in gratiam  
alterius aliquid liciti promiserit jurato, illud te-  
netur præstare, si alia non intervenerit causa,  
quæ jurantem abſterrere potuerit: E. g. si ille,  
qui juravit, juramentum non efflagitaverit vel  
expostulaverit, tum obligatione solutus est; vel  
si juramento se obſtrinxerit, non aliter sciens  
quam ritè juraverit & tamen falso, liberatur,  
neque obligatur. Pro quæſtionis decisione di-

stinguendum putamus, inter juramentum vi  
metuve extortum; Et illud, quod nullâ urgen-  
te necessitate promissum. Prius non obligat,  
cum metus semper sit pessimus Magister; sed  
posterior, quia liberâ voluntate factum est.  
Livius lib. 27. scribit de illis, qui propter me-  
tum aliquid promittunt, quod metus semper  
in deteriora inclinet. Pariter Claudianus bello  
Get. ait: Malus interpres rerum metus trahebat  
augurium pejore viâ. Videatur Onosander stra-  
tegici cap. 42. qui eâ de re discurrit. Hæcce pro-  
ratione instituti sufficere possunt. Gloria Pa-  
tri, Filio & Spiritui Sancto, <sup>qui est</sup> laudandus Deus  
in perpetua secula! Amen.



**E**Gregio hoc Sophiæ quicquid certamine quæris  
Non inivitâ dabit Pallas amica manu;  
*Annulus ex auro rutilat capitisque tiara,*  
Hæc tibi pierii signa laboris erunt.  
*Gratulor his ausis & tantos gratos honores*  
Quos conferre brevi sacra Minerva parat,  
*Hi precor ut vergant patriæque tibique tuisque*  
*In decus & famæ non moritura bona.*

Peregrinatio Dn. Candidato OLAO Euhnbergi  
pro Magisterii honoribus eruditè  
differenti hoc gratulantis animi  
symbolum L. M. q; licet pluribus  
impeditus adjecit

**JOHANNES FLACHSENIUS**  
Mathem. Prof. Ord.

---

Πρὸς τὴν τὰς ἐν Φιλοφίᾳ μέγιστας πημάτας  
δεξιόδυμον κύριον,

**ΟΛΑΟΝ ΤΟΥΝΒΕΡΓ,**  
πατριώτην μενὶ γένους αδελφὸν ἀκιβδήλως ἀγα-  
πητὸν, ὁρθῶς καὶ πεπαιδευμένον  
Διδαλέγοντα.

**ΣΟΦΙΑΝ** πάντων Γῶν, κτημάτων ἀθίνατον λέ-  
γει ὁ ωθὶ τὸς λόγυς δεινότερος Ἰσοκράτης·  
ὁρθῶς μὲν κανενεχόντως. τὸ γδὲ τὸ πατερονόν σὺν  
εὐμε-

ένμετάβλητον; γάλακτη τὴν ρώμην ἡ γέροντος ἀνδρίσκει ἡ νόσος μαρτίνει, τὴν δὲ πυμηνὸφθόνος  
Διαισύβει, πλάγτος δὲ ἀβέβαιου, καὶ οὐτογέροντον καὶ τὸ μέγιστον, τοῖς πονηροτάτερις μέτει. Τῆς  
δὲ σοφίας, ὃδεν πήμα σεμνότερον ὃδε βεβαιότερόν ἐστι, τῶντη γέροντος μόνη ἡμῖν συγγράψκει. Ἀλλά  
καλεπάτα καλὰ καὶ δυσεύρετα: οἰκητήρειον ἔαυτῆς ἐν κερνῶν ἔχει ὄμδυοντος τάυτη ἡ  
Βασιλισσαὶ σεμνότετη, ἐν δὲ ἀκρωτηρίοις τῶν  
ὅρων, καὶ Διάὶ τὰ τῶν πετρῶν κρημνότετα καὶ ἀκάν-  
των κεντρίας δυσεμβόλῳ, ὡσπερ μοδολογεύσος  
οἱ ποιηταί. πολλὸν δὲν ἀφῆν δέτε οὔπιεν πέιναν  
γίνεσθαι σοφὸν, καὶ χέρροντος περιπολεῖαν ὄμρος.  
αἵραγε ὃ τὸ δυσσέρετον ἀθύνατον, ἀλλὰ μελέτη  
τὸ πᾶν, ἐφη σοφὸς. Σὺ δὲν, ἀδελφέ μελέτη τὸ  
πριωτάπε, Διάὶ παντός μὲν φιλοματῆς καὶ σκ  
πεώτης τῆς ἡλικίας ἐν ταῖς τῶν μυστῶν παρεμ-  
βολαῖς σρατίωτης ὃ ράτυμῶν ὑπῆρχεται, καὶ τὸν  
μὲν ὄκνον ψόγον, τὸν δὲ πόνον ἐπακνον ἡγεμόνος  
τὴν ἔαυτην ψυχὴν εἰς ἕργα καὶ περισσευχὰς ἐμέρ-  
σαις, καὶ τῶς βύματι τάτω δίπλῳ πάντα τὰ τῶ  
ἀλύτει Φοβερῷ παρουσιλέως ἵπσαμέων, μάλ-  
λον δὲ περὶ σκληρότερον τὸν τῆς πενίας κένηρα  
λακτίζων τὰ τῶν ματημάτων ἄδολα ἐξετάζειν  
ἐπεχείρειος, καὶ διὰ μὲν δόξα τῷ Θεῷ, ἐυτυ-  
χῶς. ἐδὲ γάλακτη βεραχεῖ πάρεισται μῦσον βερα-  
βεῖον

Βεῖον Φερέθμυας ἀερισθ. Σὺ δὲ απεῦσσον ὡς ἕρ-  
ξω πολὺ ταφές τὴν αἰρετὴν ἐποδύναι, γάτως γα-  
τῶντὸς τοῖς ἀγαστοῖς ἀπασιν ἐνδοχημήσεις ἐντυ-  
χῶς πεάτηων ἔρρωσ.

ἀσμύως ἔγραψεν

Nicolaus Crucelius.

---

*Pereximio atq; Præstantissimo*

Dno. O L A O Tuhnberg/

*Philosophiæ Candidato, pro summis in Philoso-  
phia honoribus eruditè differenti.*

**S**Trenuus in bello, vario decoratur honore,  
Srenuo & in studiis, vilior haud honor est,  
Obtinet in bello felix, insigne brabeum;  
Sic tu pro studijs, sertum habeas obiter.

*Debiti officij & amici affctus declarandis  
causa sic lubens congratulatur,*

PETRUS OSENIUS.

